

B. 191.





LVBEC A ORIENTALIS,

SIVE

VIRORVM PATRIA, INSTITVTIONE, OFFICII,  
COMMORATIONE,

LVBECENSIVM,

LINGVARVM AC RERVM ORIENTIS STVDIO CELEBERRIMORVM,  
NOTITIA,

QVA

THEOLOGO PHILOGIAE ETIAM ORIENTALIS  
PERITISSIMO,

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, PRAECLARISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE,

D O M I N O

M. HENRICO SCHARBAV,

VEN. MINISTERII LVBESENSIS SENIORI  
ET PASTORI AEGIDIANO

GRAVISSIMO MERITISSIMOQVE,

QVATVOR DECENNIA

IN SACRO MVNERE LAVDATISSIME

EXACTA

SINCERA MENTE GRATVLATVR

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBE. RECT.

D. XV. AVG. A. MDCCLV.



LVBECAE.

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR.











Si nullas alias (adsunt autem plures) post fata etiam venerandi Theologum candidissimum, D. GEORGIUM HENRICVM GOETZIVM, Praesulem quondam Lubecensem multis magnisque meritis conspicuum, habentem causas, haec vna sane sufficeret, quod mihi urbem hanc ingresso statim suaserit, vt Tecum, VIR MAXIME REVERENDE, colerem amicitiam. Praedicabat ille, et valde praedicabat, tuam eruditionem, tuam humanitatem, tuam industriam, imo tanti Te aestimabat, vt e tuo consortio vtilitatem mihi perinsignem polliceretur. Quare luculentum favoris, quo bene mihi cupiebat, documentum se daturum esse, existimabat, si Te mihi de meliori commendaret. Quam libenter autem sincerum hoc et egregium accepi consilium, tam incunde eius fructum per longum temporis spatium sensi, adeo, vt inter ea, quae Lubecae mihi obtigerunt grata, amicitiae non fucatae, qua me dignatus es, locum haud postremum iure assignem. Sancte enim affirmo, quod, quoties Tecum versatus sum, toties invenerim, quae mihi profuerunt, meque simul delectarunt. Quare rebus tuis ex animi gestis sententia, honoribus tuis auctis, fama tua magis semper magisque amplificata, meritis tuis quotidie crescentibus, aetate tua ex voto prorogata, non potui non laetari, teque lubentissime conspiciere inter eos, qui rebus secundis et ad voluntatem fluentibus prosperrime vtuntur. Eadem me capit delectatio hodierno die, quo muneris sanctioris optime administrati annum quadragesimum faulste experiris impletum. Felicitatem hanc esse rariorem, neque omnibus contingere, ipse agnoscis, ideoque DEVM benignissimum mente gratissima celebras. Gaudent Tecum alii, fortuna tua impense laetantes, quos inter &





ego nomen meum lubens profiteor. Quidni enim mihi quoque id afferat iucunditatem, quod Te non potest non exhilarare? Laederem sane iura amicitiae, si tacerem hodie, neque publico declararem documento, quanto in pretio Te, FAVOR HONORATISSIME, ac per insignia tua in rem sacram pariter ac literariam merita habeam. Cum vero dudum Tibi Studia etiam Orientalia, Philologiam, Antiquitates, oraculorum Codicis Hebraei interpretationem, completentia, perplacuerint, licebit hac vice respicere viros, quibuscum huius praesertim literaturae ergo apte poteris comparari. Efulget iis orbis literatus in istis regionibus, quae illarum etiam cultu splendorem suum adauxerunt, in quibus Orientalibus extra Orientem recensendis et collaudandis labor quorundam virorum doctorum honorifice fuit versatus. Hos inter principatum obtinet PAVLVS COLOMESIVS, Ecclesiae Anglicanae Presbyter et Bibliothecae Lambethanae Curator, vir eleganter doctus et de historia literaria orientali eximie meritus, cuius extat *Gallia Orientalis*, Hagae Comitibus 1665. evulgata, & deinceps ab immortalis nominis viro, IO. ALB. FABRICIO, in Operibus Colomesianis, Hamb. 1709. 4. iunctim editis, primo loco repetita; *Italia et Hispania Orientalis*, a viro literaturae quoque orientalis longe peritissimo, IO. CHRISTOPH. WOLFIO, ex Autographo auctoris, cum Notis lectissimis Hamb. 1730. 4. in lucem protracta. Idem COLOMESIVS *Belgii* etiam, *Germaniae* et *Angliae Orientalis* spem fecit (1), quibus tamen huc usque caremus, quamvis forte alicubi lateant, aequae ac Italia & Hispania Orientalis longo temporis spatio delituerunt, annoque demum huius saeculi tricesimo, e Bibliotheca viri eruditissimi, HERMANNI van de WALL, divinatorum oraculorum apud Amstelodamenses interpretis, acceptae, a laudato WOLFIO cum literato orbe communicari potuerunt. Patria nostra, Germania, hac quoque re aliis regionibus minime cedit, quippe quae viros etiam linguarum et rerum Orientalium scientissimos, post expulsam barbariem renatasque literas, nunquam non potuit ostendere, iisdemque superbire. Vnde cum COLOMESII *Germania Orientalis* ad Almelo-veenianam Bibliothecam promissam et latentem pertineat: RVDOLPHVS

(1) Praef Gall. Orient.: BELGAS, GERMANOS, ANGLIOS, & alios, si fuerit dexter Apollo, brevi dabimus.



83      84      5

PHVS MARTINVS MEELFVHRERVS *Prodromum* quoque *Germaniae Orientalis* modo prodire iusserit, ipsum opus non perduxerit ad finem, saltem in lucem haud emiserit, optandum esset, vt, in honorem patriae nostrae, *Germania Orientalis* plene elaboraretur, quo exteris, & praesertim hostibus civium nostrorum, luculenter innotesceret, quod Germaniae laus per orientalis quoque eruditionis culturam valde creverit. Quoniam vero Germania tam ampla est, tamque late patet, vt vnus, laboriosissimus quoque, vir huic negotio digne satis exequendo non sufficiat, operae foret pretium, si vnaquaeque vrbs, aut, quod posset onus hoc non parum sublevare, vnaquaeque vrbs, nobilior saltem & celebrior, nancisceretur scriptorem, strenuos linguae Hebraeae & aliarum ad Orientem spectantium, vna cum rebus huic studio annexis, sive historicis, sive antiquariis, sive exegeticis, cultores, vel indigenas, vel adoptivos, vel institutos, vel aliquandiu etiam ibi modo commoratos, conquireret, recenseret, iusta laude afficeret, commendaretque eorum operam, quacunque ratione rei orientali iuvandae, promovendae, cum aliis communicandae, impensam. Facem praetulit huiusmodi laborem vnus provinciae causa suscepturis Vir & reverenda dignitate & praestantissimis in rempublicam sacram pariter ac literariam meritis celeberrimus, D. IO. GEORG. SCHELHÖRNIVS, Sacrorum apud Memmingenses hodie Antistes excellentissimus, qui suum de *eximii Suevorum in Literaturam Orientalem Meritis Schediasma Historico-Literarium* (2) elegantissimum noluit quidem, modestiae causa, ad COLOMESII exemplum, inscribere *Sueviam Orientalem* (3); re vera tamen hunc meretur titulum, siquidem praecipui disciplinarum orientalium statores atque conservatores, quos Suevia fovit, quive illam ornarunt, ab auctore πολυμαθέςᾳτῳ more suo, i. e. accurate, describuntur. Helmstadio sigillatim hoc officium videtur praestitisse IO. AVGVSTINVS FASCHIVS, dum metri heroici legibus adstrictum Helmst. 1703. 4. edidit *Florens Orientale in Occidente Helmstadium*; sed cum ipse hunc titulum per *Poemation de Laudibus Professorum Academiae Iuliae cum celeberrimis in Oriente Doctores*

A 3

colla-

(2) Editum est Memming. 1730. 4, deinceps vero *Amoenitat. Literar. Tom. XIII.* p. 197-264 insertum.

(3) Conf. loc. cit. p. 199.





collatorum declaret, haud difficulter cernitur, quod non solos Linguarum Orientalium Professores, eorumque merita, canere voluerit. It proinde per cunctos ordines, Theologicum, Iuridicum, Medicum, Philosophicum, ac Professores memorato anno viventes praedicat, cumque magnis comparat viris, qui in Oriente olim docuerunt. Quare ad institutum nostrum aliquo tantum modo poterit referri. Mihi vero non totam Germaniam, imo ne vnam quidem eius provinciam, hoc sine perlustrato, vitae meae rationibus tanto labori me imparem reddentibus, vnica sufficere vrbs, quam vt potissimum respiciam, causas idoneas inuenio. Exhibere proinde studebo *Lubecam Orientalem*, acturus de Lubecensibus, si non omnibus, plerisque saltem, quorum recordari potui, per quos intelligo Lubecae et natos et in vrbs huius officina literaria publica, in qua linguae potissimum Hebraicae fundamenta feliciter iecerunt, institutos, (ad quos pertinent omnes, quos, brevitatis studio, generatim Lubecenses appello, cum haec vox & patriam & simul scholam respiciat), et officiis publicis functos, et aliquandiu saltem ibi commoratos, quos amor erga Orientalia, studium iisdem inculcandis consecratum, scripta eo consilio adornata (horum enim auctores atque editores, per paucis modo exceptis, praecipue attendam, cum omnes Hebraeam aliasque linguas Orientales callentes, etsi scriptis publicis rei huic infervientibus non inclaruerint, haec charta haud capiat), celebres reddiderunt, a quibus commodum, vel maius, vel minus, ad literaturam Orientalem, res quoque nonnullas historicas et antiquitates, modo hac, modo illa ratione, redundavit. Copiosas ergo virorum laudis ergo nominandorum descriptiones et amplam rerum ad eosdem spectantium notitiam non polliceor, cum scientiam, quam ingenii monumentis demonstrarunt, et studium, quo disciplinam Orientalem iuvare, aliisque impertiri contenderunt, historice solum paucis commemorare, in animo habeam. Sciagraphiam itaque tantum, non plenam promitto tractationem, Vitas auctorum et largas Scriptorum adducendorum recensioni, elogia etiam, complectentem, primas lineas pro dignitate elaborandas alteri, COLOMESIVM, qui Vitas, Testimonia, Scripta ad alias etiam disciplinas spectantia, simul attulit, strictius secuturo, libenter committens, cum mihi neque temporis, neque chartae





chartae spatium omnia, quae dici poterant, dicere concedat. Quare cuncta, quae omitti poterunt, omitam, ea tantum scripturus, quae *Lubecae Orientalis* inscriptioni tuendae conveniunt. Variis autem modis dicendos Lubecenses, qui literaturae Orientalis fuerunt cultores, illiusque dederunt documenta, ordine breviter, ea non omnino repetiturus, quae in Athenis Lubecensibus de variis passim annotavi, sistam alphabetico, quem in huiusmodi scriptis optimum & commodissimum esse, arbitror.

ANONYMVS, editor librorum quorundam Biblicorum, quorum notitiam ipsa dat inscriptio:

שיר השירים  
 רות איכה קהלת  
 מגילת אסתר  
 נדפס שנת י"ת  
 על ידי  
 גוטפריד יעצר  
 פה העיר המהוללה  
 לובקה

De typographo, qui hunc libellum excudit, *GOTHOFREDO IAEGER*, (quem fuisse avum tuum maternum, ex ore tuo, *SCHARBAVI* amicissime, plus vice simplici me audivisse, memini) notandum est, quod is *Lubecae* etiam *Orientali* inseri mereatur. Fuit enim *Hebraeae* linguae adeo peritus, & ea rerum *Iudaicarum* notitia imbutus, ut cum *Iudaeis* interdum felici disputaverit successu, eosdemque ad silentium adegerit. Doctis itaque *Typographis* erit annumerandus. Comperi etiam, quod is primus typos *Hebraicos* in hac urbe adhibuerit, quibus ante ipsum officinae typographicae *Lubecenses* fuerunt destitutae. Forsan ipse est libelli huius editor, quamvis nomen suum, typographorum more, in titulo tantum expresserit. Cum vero in usum haud dubie iuventutis scholasticae *Lubecensis* ex ipso fonte hic libellus sit adornatus, is etiam, qui eundem typis *Hebraicis* excudendum curavit, de lingua *Hebraea* iunioribus mature instillanda bene voluit mereri. Eodem laudabili valde consilio de linguarum *Orientalium* principe, *Hebraea* nimirum, cum iuvenibus in primo aetatis flore communicanda fuit cogitatum, quod probabunt



bunt ea, quae annotavi Athen. Lubec. P. I. p. 142. IV. p. 26. 28. 344. 358. 359. 396. 406. 409. 413. 415. 416. 426. 430. Quare eos non potui plane omittere, qui Lubecense Gymnasium olim frequentarunt, inque eodem posuerunt literaturae Orientalis fundamentum, cui deinceps maiora potuerunt et altiora superstruere, sicque apti fieri ac idonei ad elaboranda tum alia, tum ea, quae oraculis e veteri depromptis Testamento Hebraico recte interpretandis inserviunt; aequae ac illi e numero aedificantium non sunt excludendi, a quibus basis aedificii fuit collocata. Minime vero hic praeterire possum venerandi MINISTERII LVBECENSIS laude dignum studium iuvandi Codicis Sacri V. T. editionem, a magno literature Hebraeo, HENRICO OPITIO, curatam, qui illud in Praefatione, Bibliis Hebraicis Kilon. 1709. 4. editis praefixa, his praedicat verbis: *Quin et ad manus mihi fuerunt pleraeque editiones Antwerpenses, & primo quidem magnifica illa & Regia, auspiciis atque sumtibus magni Hispaniarum Regis, PHILIPPI II. sex Tomis Anno 1572. in fol. Antwerpiae excusa editio, quam ex benevola summe Rev. Ministerii Lubecensis concessione utendam habui, pro qua singulari benevolentia decentes publice hic persolvo gratias.*

BANGERTVS (Henr.) Rector Lubecensis, non praedicatur modo a IO. MOLLERO Cimbr. Literat. Tom. II. p. 54. ob *Hebraeae linguae peritiam rariorem*, verum etiam deinceps laudandi MEN. HÄNNEKENII *Grammaticam Hebraeam cum Tabulis Synopticis* Lubec. 1660. fol. edidit auctiorem, & eo quidem fine, ut iuvenum fidei suae commissorum studia Hebraica iuvaret. Cum viderem aliquando, quae manus Bangertina Hebraice scripserat, non poteram non calligraphiam, qua literas, vocales & accentus tam nitide pinxerat, ut dubitarem, an posset aliquis nitidius, mirari. Sed hoc obiter.

BATTVS (Theodor.) Gymnasii Lubecensis olim civis, Scholae Gryphiswaldensis Rector, non solum Wittenbergae auspiciis THEODOR. DASSOVII an. 1695 *Modos seminandi diversa Semina Hebraeorum veterum, ad illustranda commata Levit. XIX. 19. Deut. XXII. 9.* exposuit, & anno sequenti nonnulla ad *titulum Celim ex Hebraeorum magistris commentatus est*, verum etiam anno eodem *Dissertationem de Techtis Ebraeorum relectis* Wittenbergae, & an. 1717 *Gryphiswaldiae Programma de Iudaeorum Iubilaeis* evulgavit.

BECKE-





BECKERVS (Io. Herm.), SS. Theol. Doctor & Pastor Marianus, in erudito *Theoriae Iobae Specimine ad loca Iobi c. IX. v. 9. et XXXIIX. v. 31. 32.* difficiliore quosdam voces Hebraicas luculenter declaravit, hacque etiam ratione vsus linguae sanctioris in Astro- nomia egregiis documentis ob oculos posuit.

BOLDICHIVS (Ern. Christian.), Lubecensis Gymnasii quon- dam alumnus, Ecclesiastes Regius Aulicus in arce Coronaeburgensi et Ecclesiae Teutonicae Helsingoranae Pastor, Dissertatione, Ien. 1672. 4. edita, nobile de Pontifice Ebraeorum maximo argumentum excussit.

CARPZOVIVS (Io. Gottlob), Superintendens Lubecensis, Lin- guarum Orientalium antea in Academia Lipsiensi Professor celeberrimus, cui *Introductio ad libros Biblicos Veteris Testamenti: Critica Sacra Veteris Testamenti: Apparatus Historico-Criticus Antiquitatum S. Codicis & Gentis Hebraeae, uberrimis Annotationibus in THOMAE GOODWILNI Moſen & Aaronem subministratus*, ne de scriptis minoribus, quibus de Eleemofynis Iudaeorum: Schechina: Discalceatione religiosa in loco sacro: Synagoga cum honore sepulta, commentatus est, & aliis, dicam, eam pepererunt laudem, vt inter praecipuos, quos Lubeca habuit, li- terarum Orientalium amatores & explanatores locum haud postre- mum sit promeritus.

CARSTENS (Men. Nicol.), Lubecensis, Pastor Cathedralis, eruditas suas *Meditationes Subsecivas* ornavit magna elaborato indu- stria *Parallelismo cum Religione Iudaica V. T. a vate Iſaia cap. I. deline- ata, & Romanensi, sive Papaea, instituto*, qui eximiam rerum Iudaica- rum notitiam demonstrat. *Die hier angestellte Vergleichung, sic iudi- catur in Hamb. Bericht. 1745. p. 333, zwischen der Iüdischen Kirche zur Zeit des Propbeten Iſaia und der heutigen Päbſtlichen gibt der Sache selbst ein nicht geringes Licht, bevorab da der Hr. Verfasser keinen einzi- gen Umstand und kein einziges Wort im Ebreischen Text übergeht, wel- ches er nicht aus den Alterthümern und Geschichten, wie auch nach den Regeln der geistlichen Auslegungskunst, mit vieler Klarheit und Gründ- lichkeit beleuchtet.*

DRACONITES (Io.), Theologus quondam Marpurgensis & Rostochienſis, ob eximiam, tum aliarum linguarum, tum Hebraicae

B

praeser-





praesertim & Chaldaicae, notitiam valde a laudatis viris laudatus. Conf. MOLLERVS l.c. p. 170 sq. Sic e. g. ab ANTON, TEISSIERIO Additt. ad Elogia Eruditor. Thuan. P. I. p. 280 praedicatur *un Theologien d'un profond savoir & qui étoit consommé en la langue Latine, la Greque, l'Hebraïque & la Chaldaique.* Sed brevitatis studio missa facio omnia, quae praeclearissimam eius ostendunt peritiam Hebraeae linguae, e qua complures V. T. libros vertit & expositionibus e fonte derivatis & adornatis declaravit, quibus locum etiam CAROL. IOSEPH. IMBONATVS in *Bibliotheca Latino-Hebraica* p. 405 sq concessit. Memoro saltem paucis ea, & ab IMBONATO quidem omissa, quibus se Philologum Orientalem Lubecae praestitit. De eius vero apud Lubecenses commoratione sic scribit loc. cit. p. 168 MOLLERVS: *Lubecae dicitur, ab A. scilicet 1548 ad 1551, substitit. In hoc Cimbricae emporio, patronos nactus eximios, HERMANNVM BONNVN, Superintendentem, & IOH. RVDELIVM, Syndicum (suum olim Maypurgi collegam), non solum libros aliquot Biblicos publicis, in Scholae acrioaterio, bis hebdomatim, praelectionibus, Magistratus, illustravit, auspiciis. Sed Commentarium etiam in Haggaeum, ex istis selectum, opusque ingens vernaculum, illustriora V. T. de CHRISTO vaticinia explicata comprehendens, A. 1549 ac 1550 edidit. Unde patet, quod publice ea praestare annis sit, quae Hebraeae etiam linguae cultoribus possunt prodesse, dum in Auditorio Cathariniano divina vaticinia Haggaeana publicis explanavit praelectionibus, quas deinceps excudendas curavit hoc titulo: *HAGGAEVS Propheta e Lingua Sancta in Latinam versus ac explicatus*, cui Dedicacionem ad Lubecenses generatim praefixit. E conclusionibus huius in Haggaeum Commentarii sequentia notari merentur verba: *Consilium optimum putavi meis Lubecensibus propter hospitalitatem gratias agere, videlicet aliquid scribendo, quod liberis eorum prodesset. - - - CHRISTVS IESVS, filius Dei praedictus a Prophetis, saxit, ut in Auditorio Lubecensi Prophetarum explicatio, sine qua religio nequit florere, nunquam conflescat!* Conf. quae annotavi in *Histor. Typogr. Lubec.* p. 6 sqq. Atque sic DRACONITES etiam Lubecae Orientali dare voluit incrementa.*

ELSWICHIVS (Io. Herm.), Gymnasii Lubecensis olim civis, Theologiae Licentiatius et Pastor in vrbe Stadenfi Aedis sanctioris Cosmae ac Damiano consecratae, eruditionem orientalem variis com-  
proba-



probavit modis, et scriptis praefertim eruditissimis, quibus AHMET BEN - ABDALA Epistolam ad Sevenissimos Auriacum & Portugalliae Principes, in Academia Varniaca, Grapianis examinavit auspiciis; Melchisedecum ab iniuria PETRI IVRIAEI defensum: ab HENRICO HVLSIO minus feliciter in Henocha detectum: ab eodem in gentili Mythologia frustra quaesitum; Magos stella duce Bethlehemum profectos, exhibuit; audacem et temerarium WITTERVM, Spenceriana, Mars-hamiana, Hardtiana, Clericana paradoxa tueri conatum, in *Observationibus Philologicis super clarissimi viri, BERNH. HENNING. WIT-TERI, Commentatione in Genesin*, sex continentibus observationes, de *Eloquentia Mosi: de Scopio Librorum Mosi: de Lingua Hebraea non Cananaea: de Auctore Capitis I. Geneseos: de Origine nominis אלהים: de אלהים אלהים*, castigavit.

FELS (Christian. Lebrecht), natus quidem Iudaeus, sed a Iudaismo ad Christianismum transgressus, Lubecae Orientali inferi omnino meretur. Vti enim, relicta Lectoris Pragensis provincia et Christianiana accepta religione, in variis Germaniae locis (quae inter est etiam Stada, vbi, vna cum commilitonibus nonnullis, me quoque in iuventute paulo altioribus Hebraismi atque Rabbiniismi fundamentis instruxit) et viros et iuvenes linguas orientales, ac praefertim Hebraicam, docuit; ita hunc laborem exantlasse eum quoque Lubecae, evincit testimonium ab AVGVSTO PFEIFFERO, Praefule Lubecensi, 1693. d. 16 Jun. ipsi datum, quod integrum Athen. Lubec. P. IV. p. 5. 6 sq. exhibui. Instituto nostro sufficiet haec inde repetiisse verba: *Er hat hin und wieder gute Proben bey der studirenden Jugend abgeleget, die er, weil er die Lateinischen Terminos artis wol verstehet, und seine Sachen methodice proponiret, in kurtzer Zeit so wol in Ebraismo, als Lektionem Rabbinnica weit gebracht, wie denn auch hie in dieser Stadt er etliche aus dem Gymnasio angeführet.*

FISCHERVS (Io.), Lubecensis, supremus per Livoniam sa-crorum Antistes, & ob alia etiam administrata munia percelebris, nunquam potuisset *Bibliorum P. T.* in linguam Letticam Versionem dirigere ita, vt illa insignis prorsus operis et ob Ecclesiae commodum aeter-nis laudibus digni elogium in Nov. Liter. Mar. Balth. 1699. p. 194. obtinuisset, si fontis Hebraei ignarus fuisset, neque solida eius scientia instructus. De laude, quam DIETERICVS a STADE






huic Versioni impertiri nullus dubitavit, vide Epistolam, quam inserui Memor. Staden. p. 234. sqq.

FRANCKIVS (Aug. Herm.), Lubecensis, qui cum esset Linguarum Orientalium in Academia Fridericiana Professor, scriptis quoque ad munus, quod gerebat, spectantibus, de Praefixis Hebraeorum, eorumque diversa Significationis ratione: de Emphastibus Scripturae, et aliis, spartam, quam nactus erat, ornare laboravit.

GIBELIVS (Abrah.), Subrektor Lubecensis, magnam linguae Hebraicae et Chaldaicae peritiam iis comprobavit documentis, quae de veritate huius rei neminem sinunt dubitare. Testantur hoc ipsius scripta: *Strigilis Institutionum Hebraicarum* ROBERTI BELLARMINI, Cardinalis: *Artificium Accentuum Hebraicorum: Difficultatum Etymologicarum Hebraicae Litteraturae Enodatio: Artificium genuinum antiquae Puritatis Hebraeae: Thesaurus Dictionum Hagiographicae Linguae Chaldaicae ex Canonicae Antiquitatis, puritate*, DANIELIS nempe et EZRAE residuis monumentis Chaldaeis collectus; quorum scriptorum cum copiosius meminerim Athen. Lubec. P. IV. p. 242. sq. actum hic non agam. *Dissertatio de genuina Lexicographiae Chaldaicae Constitutione* e THOM. CRENIII Analect. p. 254. citatur a IO. CHRISTOPH. WOLFIO Biblioth. Hebr. P. II. p. 564. Adde his, quae memoriae prodidit IMBONATVS loc. cit. p. 256. hoc modo: „ABRAHAM „GIBELIVS, Belga, Haereticus Augustanae confessionis, scripsit „*Grammaticam Hebraeam*. Excus. Wittembergae. 1603. 4. *Difficultatum etymologicarum Hebraicae litteraturae Enodationem*. Excus. ibid. „apud Clementem Bergerum eodem anno. Item aliud Opusculum „*inscriptum Strigilis Institutionum Hebraicarum Bellarmini*. Excus. „ibid. 1605. 4. Errat vero IMBONATVS, dum GIBELIVM vocat Belgam, cum Germanus sit, et *Torgensis* quidem, adeoque e Saxonia oriundus. AEque incongrue eum appellat *Haereticum*. Videtur autem vel ideo praecipue ei succensere, quod BELLARMINVM suum castigarit. Sed eiusmodi hallucinationes et criminationes in opere Imbonatiano haud raro occurrere, animadverti.

GOETZIVS (Georg. Henr.), Superintendens Lubecensis, historiae literariae orientalis partem quandam elaboravit, dum *Ecologam Historico-literariam de Peregrinationibus, Eruditionis Orientalis colligendae causa, susceptis*, conscripsit, et Lubec. 1716. 4. evulgavit. Addi




 Addi merentur variae de Magis Dissertationes, in quibus non Theologica solum, sed nonnulla etiam ex historia orientali deprompta reperiuntur. Neque collecta et edita Lubec. 1708. 8. ab eo *Elogia Philologorum Hebraeorum* silentio sunt involvenda.

GVALTPERIVS (Otto), Theologiae Doctor, qui ante, quam Rectoratum susceperet Lubecensem, Hebraearum et Graecarum literarum Professoris munere in Academia Marpurgenfi laudabiliter functus est, peritiam Hebraeae potissimum et Chaldaicae linguae luculenter demonstravit *Grammatica Linguae sanctae: Collatione praecipuarum sacrae Geneseos Translationum inter se variantium, Chaldaeae, Graecae LXX, Latinae Vulgatae, Germanicae Dn. Lutheri, reductionum ad fontem Hebraeum*, et rel. Conf. quae scripsi Athen. Lubec. P. IV. p. 234 sqq. IMBONATVS loc. cit. p. 183. haec de eo habet: „OTHO „GVALTPERIVS, Lutheranus, Stadae Saxonum, an. 1600 peste „extinctus, Opusculum edidit inscriptum *Lingua Sancta per Quaestiones et Responiones*. Wittembergae. 159c. et Lubecae. 1611. 8. „Scripsit etiam *Collationem variantium Translationum libri Geneseos, et ad Textum Hebraicum reductionem*. Excus. ibid. 1612. 8. *Syllogen Votum in N. Test. duabus partibus*. Excus. Hamb. 1608. 8. et Witteb. „1609. 8. „ Vbi in prioribus verbis ter videmus hallucinantem IMBONATVM. Falsum enim est, quod Stadae Saxonum vixerit GVALTPERIVS, qui munere doctoris publici Marpurgi et Lubecae functus est: falsum, quod an. 1600 obierit, cum id demum 1624. d. 29 Dec. contigerit: falsum, quod peste extinctus sit, cum marasmus senilis vita eum privarit.

HANNEKENIVS (Men.), Orientalium Linguarum in Academia Marpurgenfi Professor, deinceps Superintendens Lubecensis, cuius *Grammaticae Hebraeae*, Lubecae ab HENR. BANGERTO renovatae, supra iam feci mentionem. Commemoratur idcirco etiam ab IMBONATO loc. cit. p. 161. hoc modo: „MENNO HANNEKENIVS, Lutheranus, scripsit *Grammaticam Hebraeam per Tabulas*. „Excus. Marpurgi. 1640. et Lubecae. 1660 fol. De laudatissima eius cura, qua Studium Hebraicum *Lectioibus* in Auditorio Cathariniano habitis, et *Tabulis adornatis*, in Athenaeo Lubecensi instaurare laboravit, a MATTHIA WASMVTHO valde idcirco laudatus





datum, vid. quae annotavi Athen. Lubec. P. III. p. 528. IV. p. 409. fgg. 413. 415 sq. 457.

HANNEKENIVS (Phil. Ludov.), Gymnafii Lubecenfis olim civis, Theologus Gieffenfis et Wittenbergenfis clariffimus, auctor eft *Annotatorum Philologicorum in Iofuam, cum Eruditione de Accentibus*, Gieffae 1665. 12. et 1668 editorum. Conf. IMBONATVS loc. cit. p. 209.

HANSSEN (Petr.), Lubecenfis Athenaei quondam membrum, Superintendens hodie Ploenenfis, cuius eruditionem orientalem licebit concludere e *Commentariis in SALOMONIS Proverbia et Ecclefiaften*, cum hi libri nequeant fine rerum orientalium cognitione explicari.

HARDT (Herm. von der) cum in Dedicacione *AEnigmatum prifci Orbis* fe vocet *patre Lubecenfem*, videtur huc aliquo faltem modo poffe referri. Quam libenter vero eum reciperet Lubeca Orientalis, fi ftupendam, qua illum gavifum effe, nemo poterit inficiari, eruditionem orientalem non commaculaffet tot paradoxis, quot muscae funt, quando fudum eft. Comprobant hoc permulti ipfius libri, in quibus miras et inauditas opiniones viri docti dudum animadverferunt, quod notiffimum eft. Gratulamur Lubecae, quod a principiis Hardtianis in literatura orientali huc ufque manferit immunis.

HASENMVLLERVS (Dan.), Lycei Lubecenfis olim alumnus, in Academia deinceps Cimbrica Hebraeae et Orientalium Linguarum Profeffor, cuius nomen *Differtatio de Linguis Orientalibus: HENRICI OPITII Syriasmus, eius opera et cura editus: Ianna Hebraismi aperta*, et rel. celebre reddiderunt.

HASENMVLLERVS (Vit. Henr.), Lubecenfis Gymnafii quondam civis, qui, nifi in primo aetatis flore effet mortuus, plura haud dubie literaturae orientalis, cui totum fe confecravit, fpecimina edidiffet. Inclaruit nihilo fecius vno, nimirum *Differtatione Philologico-Hiftorica Opera Sabbathum depellentia ex mente Ebraeorum explicante*, a IO. HENR. ENGENHAGEN, Lubecenfi, pro roftris Academicis Ienae defenfa.

HEYLINGIVS (Petr.), Lubecenfis, quem multa orientis ftudia imbibiffet, eo minus mirandum eft, quo certius, quod fata ipfum in eas traxerint regiones, vbi cum Orientalibus populis ver-  
fatus



fatus, eorum linguas felicissime didicit, ad excelsum simul honoris fastigium evectus. Hic cum prima literarum fundamenta iecerit in nostra officina literaria publica, copiosius de eo commentandi, si DEVS dederit, in Parte quinta Athenarum Lubecensium dabitur occasio. Conf. interim MOLLERI Cimbr. Literat. Tom. I. p. 253 sq. IO. HENR. MICHAELIS Sonderbarer Lebens - Lauff Herrn PETER HEYLINGS, aus Lübec, und dessen Reise nach Ethio-pien. Hal. 1724. 8. Add. ANDR. PLANTECOVII Epist. in Biblioth. Lubec. Vol. XI. p. 43 r sqq.

HINCKELMANNVS (Abrah.), Rector Lubecensis, qui in Epitaphio Hamburgi, vbi deinceps Pastoris Cathariniani munus administravit, in Templo Cathariniano ipsi posito, *universae rei literariae & Linguarum in primis Orientalium ingenti damno denatus dicitur.* Vid. THEOD. ANCKELMANNI Inscriptt. Hamburg. p. m. 48. edit. Fabric. Recte eum quoque appellasse IO. MOLLERVM Cimbr. Lit. Tom. II. p. 329 *linguarum Orientis peritissimum*, aequae ac HENR. BASNAGIVM Hist. des Ouvrag. des Sav. 1690. p. 81 *un Homme trop versé dans les langues orientales, non docent modo Programmata Lubecensia, de Legibus Mosaicis a Gentilibus per plagium surreptis: de Patriarcharum Scholis: de Erroribus quibusdam LVDOVICI CAPPELLI in Notis ad VILLALPANDI Descriptionem Templi Hierosolymitani: de Sacrificiis Ebraeorum: de Messiae Passione veteribus Ebraeis nota: de necessario Historiae Orientalis studio: de Conversione Muhammedanorum, ac Scripta alia, e. g. Sylloge Vocum & Phrasium Rabbinicarum obscurorum, Lubec. 1675. 4. etc.; sed et Alcoranus, ab ipso Arabice primum totus editus, quo labore magnam sibi famam in orbe erudito acquisivit. Legi merentur, quae de eo annotavit MOLLERVS loc. cit. p. 333. His addo a SIMONE OCKLEIO in Introduct. ad Linguas Oriental. Cantabrig. 1706. 8. Praefat. pag. \* 5 b scripta: *Neque homini Christiano negligenda est illorum conversio, qui iam per multa secula in Muhammedanismi tenebris plus quam Cimмериis errant, quam non esse desperandam, necum agnoscet, qui viri amplissimi, PAVLI RICAVTII, Historiam Turcicam legerit, vel etiam HINCKELMANNI in Alcoranum Praefationem, et rel. Quantis ille fuerit subsidiis instructus, ostendit, ne de libris editis dicam, vel sola ipsius Bibliotheca*  
Manu-*





*Manuscripta, pleraque ex parte constans ex Codicibus Orientalibus. Hamb. 1595. 4.*

HOFFMANNVS (Io. Adolph.), Gymnasii Lubecensis quondam civis, praeclari nominis Philologus, quem eruditionem suam orientalem, itinerum ope, magis semper magisque amplificasse, eius, multa repletus rerum quoque orientalium scientia, *Commentarius in Iobum* luculenter demonstrat.

IASTRAM (Christoph.), Lubecensis, Cathariniani Athenaei Brunsvicensis Rector, *Disputatione de Reformatione Iosiae Regis ab Idolo מַלְאָכִים in Templo facta, ex II. Reg. XXIII. 6. 7.* elaborata et auspiciis Mayerianis Wittenb. 1685. defensa, Hebraeae linguae notitiam haud vulgarem, Hinckelmanniano studio perceptam, declaravit.

KAEMPFER (Engelbert.), Gymnasii, Lubecensis olim civis, tantos fecit in linguarum et rerum orientalium notitia progressus, ut cum paucis modo queat conferri. Quamvis enim occasione fundamenta bene iaciendi complures possint frui, non tamen omnibus contingit, ipsas adire regiones orientales, atque ex iisdem thesauros collectos auferre, qua felicitate KAEMPFERVS est gavifus. Unde etiam *Amenitates Exoticas*, Lemgov. 1712. 4. editas, in peregrinationibus per universum Orientem collectas, in ipso titulo, nuncupat. Huius libri Praefatio recenset Opera ad rem Orientalem spectantia, a KAEMPFERO indefesso studio elaborata, quae satis superque comprobant, quam vere is Dedicacionem ad FRIDERICVM ADOLPHVM, Comitem Lippiensem, his auspiciatus sit verbis: *Spolia ex Oriente fero, et ad pedes Celsitudinis Tuae devotissima mente ac manu depono: non ex Palladias aegides, phalerator equos, aut rapta ex Colchide vellera aurea, qualia fortasse Martio hoc aevo Principibus debentur et in pretio sunt; sed Fasciculos chartaceos Curiositatum et Notitiarum, quas per Asiam universam, cum impendio floridae aetatis meae, laboriose acquisivi.* In recensione librorum edendorum primo occurrit loco Iaponia nostri temporis, quae non Germanice solum, sed Gallice etiam lucem aspexit. Conf. STOLLII Annotatt ad HEVMANNI Conspect. Reip. Liter. p. 702. Plura de KAEMPFERO dicendi in Parte quinta Athenarum Lubecensium D. V. dabitur occasio.

LANGIVS



LANGIVS (Andr.), Lubecensis, ICTUS, in quo non tam mirandum videtur, quod Poetis sese adiunxerit, elegantissimaque condiderit Poemata, praefertim Germanica, sed quod ultimo etiam vitae tempore ad linguam Hebraeam animum aducere, volupe duxerit. Testem habeo idoneum, D. GEORG. HENR. GOETZIVM, Praefulem Lubecensem, in Scripto Germanico, laudibus ipsius post fata consecrato, p. 11. scribentem: *Dabey denn nicht zu vergessen, dass er sich zuletzt in dem Hebräischn geübet, wie er denn zu dieser heiligen Sprache der Unterweisung eines seiner vertrauten Freunde sich bedienet.* Quis dubitabit, quin, si aetatem attigisset senilem (obiit autem tricesimo quarto aetatis anno), GROTIUS, SELDENIS, WAGENSELIUS, pluribus ICTIS, linguae Hebraeae et aliarum orientalium peritis, potuisset aequiparari?

LEMMICHIVS (Henr.), Lubecensis, Pastor in Norvegia Bergensis, locum hic meretur propter *Vindicationem incarnati veri Messiae promissi, ex Talmud et Rabinorum scriptis desumptam, et contra refractarios pervicacesque Iudaeos directam*, quae Rostoch. 1666. 8. lucem aspexit.

LINDENBERGIVS (Casp.), Lubecensis, Pastor Petrinus, ea ductus est literarum Hebraicarum et Rabbinicarum cupiditate, ut extra patriam quoque viros quaereret, quorum studio posset in his literis proficere. Invenit eos etiam, et in Germania quidem EDZARDOS, extra eam ABENDANAS, quorum institutione adiutus, in publicum potuit prodire literaturae Rabbinicae specimine, quod hoc insignivit titulo: *Epistola de loco quodam Talmudico: שלשה ענין הן ישראל באומות כלב כחיות תרנגול בעופות* i. e. *Tres sunt impudentes, Israelita inter gentes, canis inter animalia, gallus inter aves.* Legi potest erudita haec Epistola in Nov. Liter. Mar. Balth. 1701. p. 28. sqq.

LIPENIVS (Martin.), Conrector Lubecensis, Scriptis pereruditus, *Ionae Diaplo Thalasso, ex S. Historia desumpto et ex Philologia illustrato: nec non Navigatione Salomonis Ophiritica illustrata*, Historiae et Geographiae Orientalis haud vulgarem comprobavit cognitionem, a viris rerum orientalium peritis valde idcirco laudatus. Ob posteriorem libellum, quem breviter recensuit, LIPENIO locum quoque in Bibliotheca Latino Hebraica p. 435. sq. IMBONATVS concessit.





cessit. Idem inter subsidia, quibus ad conficiendam Bibliothecam suam usus est, *Bibliothecam Realem Philosophicam MARTINI LIPENII* nominat. Quod vero eius ope cogniti eidem facti sint libri nonnulli ad orientalem literaturam spectantes, liquet e pag. 70. 102. 148.

LIPENIVS (Sixt. Christian.), Subrektor Lubecensis, celebrari hic meretur ob lectu dignam Epistolam, in qua *Parallelismum Hebraeae et Graecae linguae: Parallelismum Hebraearum et Latinorum dictionum: Parallelismum Hebraicarum et Germanicarum vocum: nec non Parallelismum vocabulorum in pluribus linguis* (Hebraica etiam) simul, variis exemplis ob oculos posuit. Inserta est haec Epistola Bibliothec. Lubec. Vol. II. p. 241 sqq.

LIPSTORPIVS (Dan.), DANIELIS, Icti et Polyhistoris, filius, Gymnasii Lubecensis quondam alumnus, Athenaei Regii Bremensis Lutherani tandem Rector, qui valde inclaruit solida literaturae orientalis notitia, cuius publica etiam *Disputationibus duabus Talmudico-Rabbinicis de Primitiis Ebraeorum: nec non Disputatione prima de Angelo increato veterum doctorum Ebraeorum suffragiis illustrata et secunda Iudaeis ex Ebraeis opposita*, dedit documenta.

LOOFIVS (Henr.), Lubecensis, Professor Sedinensis, ad eos pertinet viros Hebraeis literis probe imbutos, qui de *Conversione Iudaeorum* scripserunt.

LVBERTVS (Henr.), Lubecensis, Pastor Behlendorffensis, commemorandus hic est etiam ideo, quoniam in *Exercitatione Philologica de Solis Cultu orientis populos castigavit*, et Iudaeos figillatim, qui hunc ritum observarunt, impietatis, superstitionis et stultitiae convincere, studuit.

MASIVS (Hect. Gottfr.), Gymnasii Lubecensis quondam per triennium civis, Theologus Hafnienensis celeberrimus, eruditionis Hebraicae Dissertationibus de *Vxore Loti in Statuam Salis conversa, ad Gen. XIX. 26: de Capillo Absolomi, ex 2. Sam. XIV. 25: de Desponsatione Fidelium cum Christo, ex Hof. II. 19, 20; nec non Oratione de Academia Abelenfi ad 2. Sam. XX. 18. 19*, eximia dedit documenta. Refero huc etiam HERMANNI ZOESTII *Calendarium Hebraicum*, vna cum aliis Opusculis Zoestianis e Bibliotheca MARQV. GVDII Hafn. 1701. 8, cum ipsius Praefatione evulgatum, Inter opera illius inedita



inedita et affecta memoratur *Bibliotheca Ante Mosaica*, quae quid sibi velit, dicere nequeo.

MEISNERVS (Georg.), Lubecensis, in Athenaeo patrio Subrektor, cui iste obtigit honor, vt in laudem eius 1597 defuncti D. OTTO GVALTPERIVS, Rektor, Orationem Funebrem in auditorio publico recitarit, eandemque memorato statim anno in lucem emiserit; quam, rariorem dudum factam, in Athen. Lubec. P. III. p. 480 - 516 renovavi. Et merebatur omnino hunc honorem MEISNERVS, quem varia commendant egregia alia, quae non repeto, sed, pro instituti ratione, solum eius singularem plane erga linguam Hebraeam amorem respicio. Hoc consilio iuvat nonnulla e citata Oratione huc referre. Sic p. 502 scribit GVALTPERIVS: *Lectionem Hebraeam vt attingam, laudes MEISNERI postulant, iubent, volunt. Istud namque ego, linguae sanctae tum temporis Professor, affirmare vere possum, per totum illud tempus, quo MEISNERVS noster nobiscum Marpurgi vixit, diligentior me in Hebraeis auditorem habuisse nullum. Erat enim erga sanctam hanc linguam ita inflammatus, vt se totum huic dederet ac quasi manciparet: ita erat accensus, ac finon olim in scholis sibi profitenda haec lingua foret, sed propediem usurpanda in ipso coetu beatorum Angelorum ac hominum. Dubium siquidem non est, quin electi in aeterna illa schola et panegyri perenni, vbi plena primi et antiquissimi status instauratio futura est, omnes sint locuturi lingua Hebraea (4). pag. 509 sq: *Tubingam profectus, Hebraea non minore, quam ante, profecutus est amore fervoreque. Commodum vero nactus est ibi praestantissimum atque clarissimum virum, Dn. GEORGIUM WEIGANMEIERVM, in literis Hebraeis parem vix ac ne vix quidem habentem, ad quem ego tum, ob studiorum nostrorum communitatem, MEISNERI causa, literas scripsi commendatitias. Huius viri humanitatem atque in communicandis studiis Hebraeis liberalitatem expertus MEISNERVS, coepit cum ipso agere, vt et habitationem in aedibus ipsius haberet, et privata quoque eius vteretur institutione. Ex hac uberrimam eamque longe severiorem rerum Grammaticarum consecutus est cognitionem, quam e vulgatis libellis Grammaticis, qui communibus fere iisque infinitis opplentur erroribus, petere**

C 2

vna

(4) An apodictice haec sententia, quam, praeter GVALTPERIVM, fovent plures, affirmari possit? quaeritur. Futura experientia hic sine dubio optima erit magistra.



unquam potuisset. Res Grammaticas dico, quia in his adhuc dum hodie cum Rabbinis, tum nostris, vehementer desudant. Errant enim illi longissime, qui nullius linguae Grammaticen tam facilem esse, dicitant, atque sit linguae Hebraeae: cum nullius linguae materies Grammatica tam sit refractaria, atque ex tot minutis enucleanda, atque est ipsius linguae sanctae (5). Hoc pervidens MEISNERVS noster, Tabulas Hebraeas WEIGANMEIERI, seu מנחם גאן Gan Meier, quibus in Grammaticis nihil habemus perfectius, aut absolutius (6), et perlustravit diligenter, et scubi videretur haerere, ex praeceptore praesente sententiam sciscitatus est; et ut cum ipse, tum alii quoque harum Tabularum usum eo facilius feliciusque assequerentur, penitiusque memoriae infingerent, istum adhibuit laborem, ut Tabulas resolveret in contextum continuum, nullis typorum signis interruptum. Et hunc quidem librum pluribus ut ornavit exemplis, ita a praeceptore quoque impetravit, ut ipse ultimam adhibuerit limam. Unicum illud restat, ut dignissimus aspectu et luce labor studiosis linguae sanctae typis publicis propediem communicetur, et ita nomen MEISNERI ad seram posteritatem traducatur. Aliqua dedi studium Hebraicum Meisnerianum intensissimum testantia, sed non omnia, quae in ipsa Oratione Gualperiana porro legi merentur. Constat vero ex allatis, quod, si ad scribendum adiecisset animum MEISNERVS, is egregia potuisset in hoc literarum genere praestare.

a MOSHEIM (Io. Laur.), Lubecensis, ut olim Gymnastii patrii decus, sic hodie ingens orbis literati ornamentum, dignitate Cancellarii in Academia Goettingensi exsplendescens, hic locum quoque invenit ob scripta eruditissima, de Pygmaeis Aethiopiae populis: de Iudaeorum Statuto Scripturae sensum insuetudi, in Pirke Avot capituli primi Statutum primum, quam Dissertationem ipso Praefide ANTONIVS WILIVS von der HARDT, hodie Professor Theologiae in Academia Iulio-

(5) Recentioris aetatis Grammatici Hebraei forte dissentient, atque nostra tempora a pristinis distinguunt. Negari enim non potest, quod per WASMUTHOS, DANZIOS, et his similes, haud paucae difficultates Grammaticae sunt sublatae, quae olim Hebraeae linguae cultoribus nodi videbantur Gordii, haud infeliciter deinceps soluti.

(6) WEIGANMEIERVM accenset quoque Suevis de literatura orientali eximie meritis laudatus SCHELHORNIVS loc. cit. p. 256 sq.



Iulio - Carolina, defendit : de Messia in Visione Iacobi adumbrato, quod scriptum, Veteris Testamenti oraculum notatu dignissimum e fonte Hebraeo pereximie declarans et cum Novo Testamento confrens, sub eiusdem praesidio vir doctissimus, IO. CHRISTIAN. BLUMIUS, tuitus est. Taceo alia, et addo tantum AVGVSTIN. CALMETI variorum locorum Biblicorum interpretationes, eius auspiciis in linguam Germanicam translatas, et lectissimis ab ipso illustratas, emendatas, auctas observationibus, in quibus difficiliora etiam Veteris Testamenti dicta in maiori luce collocantur.

MVNDENIVS (Christian.), Gymnasii Lubecensis quondam civis, Goettingae deinceps, Helmestadii et Francofurti ad Moenum in ordine literario pariter ac sacro perinsigne ornamentum, cuius peritiam literaturae orientalis scripta de *Votis Monasticis et Nasiraeorum inter se collatis* : de *HE demonstrativo* : de *Literis Hebraeis et Graecis iusto habendis pretio* : de *Columna Nubis et Ignis*, satis comprobant.

NEVMAYER (Christoph. Iacob.) eo minus a me potest omitti, quo clariora eum vidi prodentem indicia literaturae orientalis studiosissime olim excolendae. Hic auditor meus praestantissimus maximo et fere demirando in linguam Hebraeam mature capiebatur studio, cuius linguae licet nullam plane haberet notitiam, cum Lubecam accederet, imo ne prima quidem elementa Hebraica nosset, adeoque ab ipsis apud nos ordiretur rudimentis; tam egregie tamen in hoc studiorum genere, cum viam ad istud quodammodo ei monstrassem, et libros eo spectantes notos reddidissem, profecit, ut Hebraicos condere potuerit versus, quorum aliquos, diei meo onomastico, grati testandi animi causa, consecratos, asservo. Vtinam studium Hebraicum, in quod singulari, in ipsa iuventute, amore ferebatur, nullis literis, quam his, ardentius delectatus, ipsi licuisset ad *אמון* perducere! Pereximia haud dubie praestitisset. Sed res angusta domi ab his eum literis retraxit, fataque traxerunt in Silesiam, vbi Pastoris munere in pago aliquandiu functus, fato praematurato, quod valde doleo, defunctus est, Professore linguarum Orientalium antea minatus. Molitum esse eum varia ad Hebraeam spectantia literaturam (quod testabuntur sine dubio schedae ab ipso relictae), ex literis ad me perscriptis cognovi. Sed omnes conatus laudabiles mors opinione citius appropinquans interruptit. Conser-





vat interim ipsius memoriam *Dissertatio Philologica diiudicans sensum commatis כתר ודי ורגלי* ex *Psalmo XXII. v. 17*, sub praesidio viri celeberrimi, IO. DAV. MICHAELIS, in Academia Fridericiana 1740 habita. Ex hoc vngue leonem.

NIEMANNVS (Sebast.), Lubecensis, Theologiae Doctor et in Academia Ienensi Professor, deinceps supremus sacrorum in Ducatu Slesvicensi Praeful, vt multis eruditis scriptis aliis, sic etiam Disputationibus de *Mysterio Israelis salvandi: de Iesu mortuo et sepulto ad Ies. LIII. 9: de Paschate Σταρωριμω; de Testamento V. et N., eorumque discrimine*, inclaruit.

NOTTELMANNVS (Herm.), Rector Lubecensis, cuius *Tabula Grammatica Analyti Ebraeae inserviens, ad methodum Schickardianam confecta, ἀνορύμω* quidem prodiit, certo tamen cognovi indicio, quod ipsum habeat auctorem. Conf. Athen. Lubec. P. IV. p. 458.

PFEIFFERVS (Aug), Superintendens Lubecensis, cuius amplissima linguarum et rerum Orientalium scientia mihi aperit campum tam longe lateque patentem, vt emetiri eum nequeam. Etsi enim referam, quod in duabus Academiis, Wittenbergeni et Lipsiensi, Professoris Linguarum Orientalium munia laudatissime administrarit: etsi libros multam solidamque literaturae orientalis notitiam spirantes, *Introductionem in Orientem: Criticam Sacram: Theologiae, sive potius Ματαολογίας Iudaicae atque Mohammedicae, seu Turcico-Perficcae, Principia sublesta et Fructus pestilentis: Thesaurum Hermeneuticum: Methodum Hebraeam: Exercitationes Philologicas: Dubia vexata: Antiquitates Hebraicas: Pansophiam Mosaicam: Commentarios Anti-Rabbinicos in Obadiam et plures Prophetas: Opera Philologica coniunctim edita*, citem, nondum tamen cuncta attuli, quae huic Polyglotto, quem orientales omnes, et, praeter easdem, multas alias, generatim LXX, linguas scivisse, aiunt, satis praedicando possunt sufficere. Multo autem minus sufficient, quae IMBONATVS loc. cit. p. 325, quatuor modo scriptorum eius mentionem faciens, de magno hoc Philologo Orientali observavit. Imo vero quod is minus recte cognoverit PFEIFFERVM, vel e corrupto ipsius nomine liquet. Scribit enim semper PHEIFFERVM, non solum pag. cit., sed et postea in Indice Nominum p. 473. Syllabo Cognominum p. 501. Conspectu Librorum per Materias p. 522. 524. 531. 539. Vnde quod  
cor-



corruptio haec non error typographicus, sed e mera ortus fit ignorantia, ordo etiam literarum clare ostendit. Sed hoc obiter. Quod si autem defectum rerum Pfeifferianarum supplere quoque tentavero nonnullis verbis in Lexico Eruditorum (edit. Mencken. 1715. col. 1678.) obviis: *Er wurde ihm einmals auf recommendation EZ. SPANHEMII ein Buch aus Franckreich zugeschickt, mit einer unbekanntten Schrift, welches niemand recht lesen konnte, so er glücklich entdeckt. Er hat eine schöne Bibliothec von allerhand Büchern, sonderlich aber von vielen Rabbinicis, wie auch Arabischen, Türckischen, Persischen und Chinesischen, MSCtis, nebst allerhand Iudischen Antiquitäten, u. a. m. hinterlassen; supersunt tamen plura, quae haec charta non capit.*

PFEIFFERVS (Io, Ehrenfr.), AVGVSTI filius, quem pater ab eo anno, quo Lubecam ingressus est, Gymnasio eiusdem publico interesse etiam voluit, in quo fundamenta literaturae orientalis ponendi nactus est occasionem. Patris legere coepit vestigia, dum non solum ductu magni literarum orientalium statoris, THEODORI DASSOVII, Wittenbergae Altare exterius Hierosolymitani Templi, ad mentem Hebraeorum veterum delineatum, pro rostris Academicis exhibuit, verum etiam ipse Praefes Observationes quasdam de Dignitate Occidentalis Plagae in Re Sacra Hebraeorum ventilandas proposuit. Factus deinceps Pastor Gustroviensis, morte fuit impeditus, quo minus documentis pluribus disciplinae orientalis peritiam ostendere potuerit.

POMARIUS (Sam.), Superintendens Lubecensis, de quo HINCKELMANNVS in Biograph. German. p. 4. sq. isthaec prodidit memoriae: *Er begab sich in Wittenberg anfangs unter die Anführung des weitberühmten Hrn. ANDREAE SENNERTI, Ling. Oriental. hochverdienten Professoris, unter welchem er in der Chaldeischen, Syrischen, Arabischen, wie auch unter M. IOH. GERHARDO in der Ethiopischen Sprache, so grosse Wissenschaft erlangte, dass er auch hernach andere in allen diesen öffentlich unterwies, wie davon seine annoch verhandene Schriften zeugen. Er wusste wohl, was vor grossen Nutzen die Morgenländischen Sprachen zur Erklärung alles Testaments beyrügen: daher wolte er diesen grossen Schatz beyzeiten sammeln. Gab auch denen Gelehrten zeitig davon die Probe, als er unter hochgedachten Hn. SENNERTO die erste Disputation in Wittenberg de divino nomine אלהים hielt.*  
Tam



Tam praeclare instructus, magna poterat laude in Gymnasio, quod apud Hungaros est, Epericiffensi Professore Linguarum Orientalium agere, imo plura deinde ardua administrare officia, erudita elaborare scripta, quae orientalis etiam literaturae scientiam iuvant et ornant.

REICHIVS (Io.), Lubecensis, Senior et Pastor Aegidianus, non Rostochii solum scholas Hebraicas aperuit, verum postea etiam Wittenbergae duas edidit Disputationes Philologicas, *κατασκευαστική* et *ανασκευαστική*, quibus *Τετραγράμματος*, sive *Nomen DEI proprium* יהוה, orientalis literaturae ope, erudite exposuit.

REICHIVS (Io.), Lubecensis, Archi-Diaconus Iacobaeus, *Spicilegiis de Serpente Aeneo* haud obscura dedit indicia studii linguae etiam sanctae impensi.

SCHEIDIVS (Balthaf.) non pertinet quidem ad Lubecenses, quocumque etiam modo sumantur, id quod facile conceditur; at Lubeca tamen Orientalis certa eum conditione recipit, quoniam non solum eius *Horae Talmudicae in Epistolis II. ad Corinthios, Galatas, Ephesos et Philippenses, sive Specimen ex Praeferitis Praeferitorum*, in Bibliothecae Lubecensis Vol. II. p. 181. 216 editum est, sed eruditus etiam *Notis Scharbavianis Lubecae illustratum* cernitur.

SCHOMERVS (Iust. Christoph.), Lubecensis, magni nominis Theologus Rostochiensis, literarum Hebraicarum notitiam eruditio de *Arcanis Iehovae, quae Deut. XXIX. 29. revelavit Moses*, scripto demonstravit.

STAMPELIUS (Georg.), Superintendens Lubecensis, studio in primis Hebraico, ad expositionem oraculorum V. T. omnino necessario, non in Viadrina solum Academia, ubi Linguarum Orientalium Professore egit, sed deinceps etiam Lubecae fuit deditus. Unde in Epitaphio, quod est in Templo nostro Mariano, *Hebraeae linguae scientia instructissimus* merito appellatur. Hoc Scripta etiam, *Francofurtenfia, Hymni Davidici quatuor, XCI. CXXXII. CXXXIII. CXXXIV. explicati: Silob, seu Vaticinium Iacobi Gen. XLIX. de Messia, ex fontibus delineatum*, ob quod solum ei *IMBONATVS* in Biblioth. Latino-Hebraic. p. 366 locum dedit: *Psalmorum Poenitentialium Explanatio genuina ex fontibus ipsis hausta, diversarum versionum, Chaldaicae, Graecarum, Latinarum et Germanicarum collatione illustrata*; Lubecen-



Lubecensia, *Chronologiae sacrae Delineatio: Historia Scholastica, seu Scholarum Theologicarum Ortus et Propagatio: Thefes de Persona et Officio CHRISTI Salvatoris, e Vaticinio Jerem. XXIII. 5. 6. et XXXIII. 14. 15. 16. ad σωτηριωv piam et placidam, more olim solito, d. 25 Febr. A. 1617, Resp. MARTINO NORDANO, juniore, proposita, confirmant.*

STARCKIVS (Casp. Henr.), Lubecensis, Pastor Siebenbäumensis, rerum Hebraicarum adeo non erat expers, vt lectu dignas *Vindicias Coniugii Christianorum adversus obtrectatores Iudaeos* posset conscribere.

STOLTERFOTHIVS (Io. Iac.) a sanctiorum literarum studio ad mendendi artem transgressus et Poliatri Lubecensis munere, quod valde ornavit, functus, qui Gymnasii Lubecensis civis quam fideliter etiam ab HINCKELMANNO ad Orientis linguas ductus sit, in Athen. Lubec. P. III. p. 398. exposui. Eos itaque in lingua praefertim Hebraea fecit progressus, vt in Academia Wittenbergenfi de עפלים ex 1. Sam. VI. 5. prospero successu disputare potuerit.

SVANTENIVS (Enoch.), Rector Lubecensis, MATTHIAE WASMVTHI discipulus, facile potuit in linguarum orientalium studio proficere, et *Disputationem de Nomine tetragrammato יהוה* elaborare, e qua vel sola licet cernere, quam multa sanctae etiam linguae cognitione ille fuerit instructus. Referenda huc sunt *Lipsana Syriaca in Codice Graeco N. T. extantia, Philologice considerata*, Rostoch. 1684. in lucem edita.

TARNOVIVS (Io.), egregii nominis Theologus et Exegeta Rostochiensis, qui cum Lubecae in museo publico OTT. GVALT-  
PERIVM audiret, ex voto inchoare ei licuit studium Hebraicum et orientale reliquum, quod non potuit non crescere, cum deinceps Basileae literas orientales ex ore IO. BVXTORFII percipiendi occasionem nancisceretur. Et quis de eius peritia philologica poterit dubitare, qui *Exercitationes Biblicas; Commentarios in Prophetas minores: Psalmos Passionales: Threnos Ieremiae*, quibus potissimum libris factus est celebris, inspexit ac perlustravit?

TRIBBECHOVIVS (Adam.), Lubecensis, quem, duce potissimum BANGERTO, Hebraeam linguam in Athenaeo patrio edoctum benigna fors primum ad Professoris Kiloniensis, deinde ad supremi sacrorum Praefulis Gothani, dignitatem evexit. Huius exquisi-





quisitam eruditionem orientalem comprobant Scripta nonnulla, de Philosophia Morum inter Barbaros, praecipue Orientales, de quo in Memoria Tribbechoviana apud PIPPINGIVM Sacr. Decad. Septenar. p. 149 hoc iudicium: *Philosophia Barbarorum Moralis exquisitam eruditionem sapit, et Sabiorum, Chaldaeorum, Persarum, Brachmanum, Bonziorumque opiniones ex abstrusissimis fontibus eruit*, WILH. ERN. TENTZELIVS ferre, nullus dubitavit: de *Impositione Manuum ex Hebraeorum, nec non Christianorum monumentis: de MOSE Aegyptiorum Osfride, etc.*

TROSTIVS (Thom.), Lubecensis, ad praecoces Philologos Hebraeos iure referendus, qui et in patria et extra eandem ab incurrente fere aetate Hebraicam linguam, quacum coniunxit alias, tanto pertractavit ardore, ut, si annos attigisset seniles, ad stuporem vsque linguas Orientales imbibisset. Huius rei demonstrandae ergo afferre possem testimonia multorum, sed citabo tantum nonnulla, quae manu ADAM. LAVR. NICOLAI atque MATTH. WASMVTHI sunt consignata. Ille scripsit *Delineationem Vitae et Obitus clarissimi Dn. THOMAE TROSTII, Ling. Oriental. peritissimi*, ediditque Lubec. 1667. 4, e qua isthaec legi hic merentur: *Adultior erat iuvenis, cum Hebraeis lectionibus assidue interesset, opera BANGERTI potissimum usus. - In primis sacris Hebraeorum erat intentus, ut, quam laudem MARTINVS TROSTIVS, Orientalium linguarum Professor, obtinisset, et suam faceret. Imo assiduo labore eo usque in sancta literatura progrediebatur, ut absque interprete Hebraicum codicem facile perciperet. Haec de TROSTIO, Gymnasii Lubecensis alumno. Quam strenue postea in eodem stadio perrexerit, docebunt sequentia: Wittenbergae serio orientales linguae a TROSTIO nostro excolebantur. - - Hamburgum migrabat, ubi excellentissimi Hebraei, ESDRAE EDZARDI, informationi se tradebat. - - Ut in Talmudicis crebrius exerceretur, versabatur quotidie cum eruditissimis Iudaeorum magistris, inter quos praecipuus erat Rabbi COHEN de LAHRA. - - MATTHIA WASMVTHO suadente, de felicissima Academiae Kiloniensis fundatione Hebraeam Orationem conscribebat, et inter publicos Auditorum applausus recitabat. - - Or illud facundissimum, quod de universa Orientalium sapientia differebat. E Programmate, quo WASMVTHVS ad Panegyrum Hebraeo-Oratoriam invitavit, addo pauca, p. 54 obvia: *Orator eVet. Test. Cathedrae nostrae Academicae nunc sistentus est praecclarus orientalis Philo-**



*Philologiae cultor, Dn. THOMAS TROSTIUS, magno nomine et omine, sanctoribus hisce studiis a primis annis innutritus in Lyceo Lubecensi, et rel. Quis non dolet, ac vehementer dolet, quod tam indefessus literarum orientalium scrutator morte ab hoc studio retractus fuerit ante, quam certissime sperandos inde fructus cum orbe erudito communicare potuit?*

**WEIDENERVS** (Io. Ioach.), celeberrimus Theologus Rostochiensis, quem ob summam humanitatem, qua ipse fructus sum, post fata quoque, me oportet laudare. Ex huius ore percepi, quod, per biennium Gymnasii Lubecensis civis, Hebraica etiam in eodem tractarit, cuius rei ergo officinae nostrae literariae bene, imo optime, cupiebat. Quod vero magni aestimarit et recte adhibuerit linguam Hebraeam, nonnullas etiam eius voces defenderit, ipsius *Observatio Philologica ad vocem תַּוְנָה Gen. I. I. contra IO. CLERICVM: ad vocem כֶּרֶב contra eundem: Miraculosa Substantiarum Transmutatio quoad Biblica potissimum exempla diabolo impossibilis, contra BODINVM et CLERICVM: Miraculum Murorum Hierichuntis cadentium: Dissertatio de Commercio peculiari sanctorum DEI virorum cum viris quibusdam exteris: CHRISTVS resurgens Victor, causa Iobaeae Resurrectionis et Resurrectionis, ex Iob. XIX. 25. sq: Dissertatio de Termino Prophetiarum V.T., quae omnium Dissertationum Weidenerianarum copiosissima, testantur.*

**WESSEL** (Io.), Lubecensis, Ecclesiastes Travemundanus, *Malachia Enucleato*, quem Lubec. 1719. 4. edidit, in sensum vocum linguae sanctae inquirere laboravit.

**WESTKEN** (Io.) rarum praebet viri illustris, qui ad ipsam magnifici Consulis primarii dignitatem in hac urbe ascendit, Hebraeae linguae, cuius in Gymnasio patrio Lubecensi, quod cum habuit per annos complures membrum & simul ornamentum, iecit fundamenta, in Academiis deinde ac literariis itineribus istam vberius excoluit, singulari amore capti exemplum. Vnde inter linguas, quibus delectatus est, Hebraica etiam reperitur. *Peculiari etenim, sic diserte in Memoria eius scribit SVANTENIVS, cupiditate ardebat percognitas sibi reddendi Gallicam, Italicam, Anglicam et Hebraeam linguas.* Comperi porro per amicos rerum ipsius conscios, quod cum Consulares iam gereret honores, et meritis et annis gravis, tanto in Hebraeam linguam studio flagarit, ut Iudaei fidem Christianam amplexi vteretur opera, quo is in memoriam revocaret, quae olim cognita habuerat, iisdemque adderet incrementa. Quam raro huiusmodi res occurrit, tam valde ea demiranda merito censetur.

**WOERGERVS** (Franc.), Lubecensis, Ecclesiastes Laurentianus, qui vti multorum libellorum auctor est, ita inter eos quoque dantur meletemata, quae, sine Hebraeae linguae et historiae ac rerum orientalium notitia, non potuerunt conscribi. Nominari idcirco merentur *Primisiae Dissertationum Sacrarum de Davide*






Dauidе Rege horribili caede mactante Ammonitas: Exercitatio de Aspidе obturante Aures coram incantatore: Dissertatio de Rachele clanculum surripiente Teraphim Labano: De Benedictione sacerdotali Dissertatio: Exercitatio Biblica de Samsone: Appendix ad Historiam Samsonianam: Psychologia Salomonis: Vastatio Babylonis Assyriae: Dissertatio de Avibus Salomonis, secretorum delatoribus: De Fontibus Salomonis Hortos irrigantibus Disquisitio, etc. Elaborasse WOERGERVM quoque et Amstelodamensi typographo excudendum transmisisse Pentateuchum Mosse a Spinosae cavillis vindicatum, e THOM. CRENIL, qui ipsum magni fecit, Epistola d. VIII Kalend. Quinctil. 1703 scripta (vid. Athen. Lubec. P. II. p. 416) didici, sed luce eum esse donatum, non cognovi. Quare etiam ad Woergeriana scripta inedita, orientalis literaturae notitiam praesupponentia, eundem retulit loc. cit. p. 422.


ZEIDLERVS (Io.), Lubecensis, Pastor Aegidianus, de Perfectione S. Scripturae commentatus, praestantissimo linguae sanctae subsidio etiam usus est, vnde ad huius peritiam recte poterit concludi.

Hoc sceleton (nam istud modo promisi) qui carne, vt sic loquar, circumdare, i. e. plenius elaborare, scripta recensere, iudicia addere, auctores paulo copiosius describere, encomia adiacere voluerit, is campum videt apertum, quem mihi quidem hac vice emetiri non licuit. Reperiet forte etiam plures, qui huc, Lubecae Orientalis amplificandae causa, mercentur referri. Mihi sufficet, tantum succincte protulisse, quantum horae subservivae dare permiserunt. Redendum enim est ad Te, SCHARBAVI OPTIME, cum Tui potissimum causa laborem hunc, initio eius facti contentus, susceperim, perficiendo eidem vt alius admoveat manus, exoptans. Is tuae quoque, VIR PRAECLARISIME, Orientalium literarum peritiae, *Parergis, Iudaismo detecto, Observationibus*, et aliis scriptis eruditissimis, *de Fatis Studii Moralis apud Ebraeos: de Serpente Aeneae Significatione Mystica*, et rel. (quibus vt feliciter accedat egregius liber, quo *Apparitiones Divinas* magno eruditionis, et orientalis praefertim, apparatu solide expones, cuius partem haud exiguam vidi absolutam, aliquam, vna cum sciagraphia totius operis, typis excerptam, non sine insigni voluptate legi, in votis habeo sincerissimis) ostentae, digna praedicandae ratione par sit, et ea afferat praeconia, quae iure illi deferenda. Ego, ne amicitia partium studii me suspectum reddat, non tam laudare, siquidem laude mea Te non indigere, scio, quam optare potius volo, vt DEVS O. M. quatuordecennia, rebus in officiis sanctioribus divino favore ex voto gestis fortunata, non augeat tantum quinto, sed tot etiam annis amplifcet, quot ipsi in emolumentum coetus sanctioris, in incrementum optimarum literarum, in gaudium Vxoris, Matronae laudatissimae, in delectationem Amicorum, addere placuerit. Exornatus sic omnibus, in quibus vera et genuina consistit felicitas, sis porro SENIOR, cui senectus non afferat incommoda, sed virium, sed valetudinis, sed roboris conservationem. Sis PASTOR, qui e grege sacro, quem pascis fidelissime, exoptatum capiat oblectamentum. Sis diutissime DECVS PATRIAE, quae, post fata etiam (haec vero ferissima demum aetate mortalium consortio praesentiam tuam denegent!), Te celebrabit virum variae eruditionis laude conspicuum, et praefertim ornamentum

LVBECAE ORIENTALIS.













Nr 113.  
8 80



m. l.











LVBECA ORIENTALIS,  
SIVE  
VIRORVM PATRIA, INSTITVTIONE, OFFICIIS,  
COMMORATIONE,  
LVBECENSIVM,  
LINGVARVM AC RERVM ORIENTIS STVDIO CELEBERRIMORVM,  
NOTITIA,  
QVA  
THEOLOGO PHILOGOGIAE ETIAM ORIENTALIS  
PERITISSIMO,  
VIRO PLVRIMVM REVERENDO, PRAECLARISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE,  
D O M I N O  
M. HENRICO SCHARBAV,  
VEN. MINISTERII LVBECENSIS SENIORI  
ET PASTORI AEGIDIANO  
GRAVISSIMO MERITISSIMOQVE,  
QVATVOR DECENNIA  
IN SACRO MVNERE LAVDATISSIME  
EXACTA  
SINCERA MENTE GRATVLTVR  
IO. HENR. A SEELEN,  
SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.

---

D. XV. AVG. A. MDCCLV.

LVBECAE.  
TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR.